DE

GANGRAENAE NOSOCOMIALIS

HISTORIA ET LITERATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICO-MEDICA

AUCTORE

HUG. ZIEMSSEN.

GRYPHIAE,

TYPIS ERID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLIII.

DE

GANGRAENAE NOSOCOMIALIS

HISTORIA ET LITERATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE X. MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLIII H. XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HUGO ZIEMSSEN,

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

B. SCHULTZE, MED. DR. MEDICUS PRACT. PRIV. DOC.

G. ROHOWSKY, MED. DD.

A. HOLZE, MED. CAND.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.

MDCCCLIII.

VIRO

AMPLISSIMO, EXPERIENTISSIMO

FR. AUG. THEOPHIL. BERNDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS MEDICIS, ORDINIS DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE CUM LEMNISCO ET ORDINIS SUECICI VASANI EQUITI, MEDICINAE PRACTICAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI P. O., CLINICI MEDICI ET OBSTETRICII GRYPHICI DIRECTORI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI VEL ORDINARIO, VEL HONORARIO, VEL LITERARUM COMMERCIO JUNCTO,

H. A. RECTORI MAGNIFICO,

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,

NEC NON

SENIORI DIGNISSIMO

LITERARUM UNIVERSITATIS GRYPHICAE

GUSTAVO SALOMONI TILLBERG,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, PHYSICES ATQUE MATHESEOS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ORDINIS SUECICI DE STELLA SEPTENTRIONALI EQUITI ETC. ETC.,

AVO CARISSIMO,

HASCE PAGELLAS

DEDICAT

AUCTOR.

Praefamen.

Jamdudum apud animum constitueram, ad dissertationem conficiendam in usum vocare opusculum quoddam de Gangraena nosocomiali, quod alia ex causa ante tres annos conscripsi Berolini. Quum autem amplius sit, quam ut totum literis tradere possim, consilium cepi eam eligendi partem, quae pretii cujusdam esse videretur: Historiam et Literaturam. Quoniam enim ex bibliothecis Berolinensibus et publicis et privatis maxima pars librorum huc pertinentium mihi praesto erat, et haurire ex fontibus ipsis tunc temporis licebat; satis plenam literaturam ut colligerem, studui, et singulos, quos

legissem, libros dijudicare conatus sum. Haud impavidus commentariolum huncce submitto examini publico, quum persuasum habeam, Criticen a viro experientissimo et doctissimo quoque esse exercendam, non a tirone. Qua in re si passim erraverim, indulgeatis, precor, lectores benevoli, et veniam detis viribus parum exercitatis!

Agendum nobis est de affectione quadam vulnerum et ulcerum contagiosa, cui a clarissimo Dussaussoy nomen „Gangraena nosocomialis", „Gangrène des hôpitaux" tributum est. Alia deinde Synonyma exstiterunt, quae sequuntur:

Spitalfäule (Salzburger Zeitg.).
Wundtyphus (Eisenmann).
Sphacelus nosocomialis (Hoenemann, Berndt).
Typhus traumaticus (Berlin. Encyclopaed.).
Gangraena contagiosa (Leslie).
Gangraen. contag. nosocom. (Johnston).
Phagedaena gangraenosa (Blackadder).
Gangr. nosocomiorum (Wolff, Busch).
Hospital-Gangrene (Thomson, Hennen, Moore, Boggie).
Malignant Ulcer (Blanc, Thomson).
Putrid Ulcer (Gillespie).
Malignant contagious ulcer. (Little).
Gangrène des Hôpitaux (Dussaussoy).
Gangr. humide des hôpitaux (Moreau et Bourdin).

Pourriture d'hôpital (La Mothe, Pouteau, Delpech).
Typhus traumatique (Olivier).
Diphthérite traumatiq. (gangreneuse)-(Trousseau, Robert).
Cancréne contagiosa s. nosocomiale (Riberi, Volpi).
Hospitaal - versterving (Brugmans, Alexander).

Penitiorem affectionis cognitionem quamquam recentiorum studiis debemus, primaque vestigia apud scriptores saeculi praeteriti apparent: tamen suspicandum est, et veteribus et medii aevi Chirurgis Gangraenae nosocomialis exempla non omnino defuisse.

Vulnera solopetaria quidem et nosocomia aegrotis referta defuerunt, sed non itidem pugnae crudeles, aestus et labores, vulnera atrocia, manca vulneratorum cura. Quod igitur de hac re omnino tacuerunt, ex manca morborum distinctione explicandum est, quum Gangraenae nosocomialis symptomata cum gangraena humida aliisve morbis similibus confunderent.

Affectionem nostram, ut propriam, primi observarunt Chirurgi Francogallici medio saeculo praeterito. Nec equidem dijudicare audeo, utrum Galli ingenio et observandi indole Germanos et Anglos tantopere superaverint, ut Gangraenae nosoc. naturam priores cognoscerent, an nosocomia Gallica di-

spositione pejore occasionem ipsis praebuerint crebriorem, observandi Gangraena nosocom. affectos.

Primus Mauquest de la Mothe[1]) nostrum morbum a Gangraena ex nimia inflammatione orta disjunxit his verbis (ex versione Huthii citatis):

„Gangrän im eigentlichen Sinne bedeutet eine „Neigung zum Ersterben, welches man insgemein „in dem grossen Spital zu Paris eine Fäulung (pour„riture) zu nennen pflegt: als die fast bei allen „Wunden daselbst, und den meisten geöffneten Ab„scessen wegen der durch die Kranken-Menge ver„dorbenen Luft erfolge.“

Alia similiaque dicta in nobiliorum illius temporis Chirurgorum scriptis inveniuntur, ex quibus colligi potest, Gangraenam nosoc. ab ipsis observatam fuisse. Exempli gratia Guido de Chauliac, ulceris cujusdam sordidi et putridi naturam exponit hoc modo:

„Dicitur ulcus, quando sua malitia putrefacit „membrum dimittendo viscositatem aut carnem mol„lem sive crustosam foetidam, a qua odor attollitur „foetidus et cadaverosus.“

Gangraenam nosoc. etiam alia verba innuere videntur, quae inveniuntur apud Ravaton[2]), Le

1) Mauquest de la Mothe, Vollständige Abhandlung von d. Chirurgie, deutsch von Huth. Nürnberg 1762. T. III. p. 267.

2) Hugo Ravaton, Pratique moderne de la chirurgie, publié p. Sue. Paris 1772. IV Vol.

Dran[3]) et Ambrosium Paré. Affectionem quandam contagiosam describit Paré, quae dum urbs Rotomagus obsidione tenebatur, in omnia oppugnantium vulnera vel minima incidit, ita ut arma obsessorum venenata haberentur.

Propriam Gangraenae nosoc. pathologiam et therapiam primus proposuit Claude Pouteau, chirurgus princeps nosocomii Parisiensis „Hôtel-Dieu". Qui antea custos in eodem nosocomio, leviter vulneratus, Gangraena nosoc. ipse est correptus, ut narrat[4]). Ceterum hanc affectionem eo tempore satis cognitam fuisse, ex eo elucet, quod Pouteau loco citato miretur, se in novissimo opere de Gangraena a Quesnay[5]) conscripto, ne mentionem quidem tam gravis affectionis factam invenisse. Pouteau retinet nominationem „Pourriture d'hôpital" usitatam in nosocomio Hôtel-Dieu.

Sequitur post Pouteaunis decessum Dussaussoy, Chirurgien en chef à l'hôtel-Dieu: qui gangraenam nosoc. primus Monographia tractavit, eamque nominavit „Gangrène humide des hôpitaux". In summa re Dussaussoy cum Pouteauno consentit, fusius autem et uberius de Therapia agit, cujus praecepta secuti sunt omnes medici, quibus postea occasio data

---

3) François Le Dran, Consultations sur la plupart des maladies, qui sont au ressort de la chirurgie. Paris 1761—65.

4) Pouteau, Oeuvres posthumes. Paris 1783. Vol. III. p. 246.

5) Quesnay, de la Gangrène. Paris 1771. Aus d. Franz. v. Pfingsten. Berlin 1786.

est, observandi Gangraenam nosoc. et curandi, atque, ut infra videbimus, vel usque ad novissima tempora.

Post hoc opus, quod pluribus editionibus repetitum est, usque ad annos 1814 — 15 i. e. usque ad finem bellorum Europaeorum tantum Dissertationes de hac re conscriptae sunt, quae cognitionem morbi, ut fieri solet, nullo modo augent, raro novas observationes addunt.

Laudanda hic una Thomsonii tractatio in Lectionibus de inflammatione, ubi etiam historia morbi haud spernenda, usque ad annum 1813 invenitur, ex qua fere cuncti scriptores sequentes hauserunt.

Experientia annis 1806—15 collecta Gangraenae nosoc. doctrinam in novum stadium induxit. Atque duo medici hic prae ceteris eminent, pariter experientes, quorum alter Sebaldus Justinus Brugmans, Professor medicinae et scientiarum naturalium Leydensis, nec non rei medicinalis in exercitu regis Batavorum princeps, philosophus eruditissimus; — alter Jean Delpech, Prof. Chirurgiae in Universitate Montepessulanensi, chirurgus audacissimus.

Brugmans per duodeviginti annos et praesertim post pugnas apud Ligny, Waterloo, alias, plenam de hoc morbo experientiam sibi paravit, et in opere monographico proposuit, quod anno 1814 a societate regia Batavà praemio ornatum est.

Ab altera parte Delpech in libro suo exposuit ea, quae per duas epidemias Gangraenae nosoc. vehementissimas observavit, quarum prima grassata est in urbe Toulouse per tres annos (1799 — 1802),

altera in urbe Monte pesulano anno 1813, quo exercitus Gallici reliquiae de expeditione Russica, inprimis vulnerati milites confluebant. Delpech hic sexcentos Gangraenae nosoc. affectos tractavit, qualis observandi facultas nulli alio medico umquam data est. Delpech primus post Poutonem curationem topicam (Ferrum candens) ceteris medendi rationibus praeposuit et oppugnavit sententiam illo tempore regnantem: „que la pourriture est la symptome de la constitution épidémique regnante.“

Angli quoque inde a fine saeculi praeteriti ad Gangraenam nosoc. saepius in classe exortam attendere inceperant. Jam medici castrenses exstiterunt, qui ea quae per novissimas expeditiones de nostro morbo observassent, litteris proposuerunt. Inter quos sine dubio princeps est Hennen, qui tam apud populares quam apud externos egregiam habuit auctoritatem Medicus militaris in exercitu Britannico in Hispania, Lusitania, Belgio etc. Gangraenam nosoc. observavit vehementissime saevientem, praesertim anno 1813 in urbis Bilbao nosocomio Cordeleria et postea Bruxellis post pugnam apud Waterloo.

Eodem tempore et in iisdem regionibus H. Home Blackadder, medicus militaris, Gangraenam nosoc. erumpere et atrociter increscere vidit: primum in oppido Cantabriae Passarge, ubi ipse nosocomio castrensi praefuit, deinde per aestatem anni 1815 Bruxellis et Antwerpiae.

Hoc tempore etiam Germaniae medici, imprimis militares, quam necessaria sit Gangraenae nosoc.

indagatio accuratior intelligere coeperunt; et solita cum diligentia rem tractaverunt, admoniti quidem ab altera parte cladibus ex tam immani epidemia apud ipsos prodientibus, ab altera parte scriptis, quos supra laudavimus. Neque praetermittendi sunt hic fratres Wenzel, qui in Italia anno 1798 observationes in nosocomiis Mediolani, Ticini etc. instituerunt et Prof. Bruenninghausen, Herbipolitanus; qui jam antea tentaverunt, confusas de Gangraena et nosocomiali et humida et traumatica sententias discernere et definire.

Mox autem affectio nostra apud plurimos in oblivionem venit, quum observandi facultas defuisse videatur. Multis fortasse omnino ignota: etenim usque ad annum 1815 tantum dissertationes quaedam minimi momenti reperiuntur. Hoc anno tandem Renard, Moguntinus, opusculo suo popularibus hanc affectionem in memoriam revocavit, dum vir eximius Kieser, Professor Jenensis, quae Brugmans et Delpech conscripserant, vertit, et notis criticis egregiaque appendice instruxit. Kieser in exercitu Borussico rei medicinali praefectus an. 1813 singulari diligentia praecavit, ne in nosocomio suo St. Laurentii, Leodii Gangraena nosoc. erumperet, quam affectionem ipse semel tantum in itinere quodam observavit Bruxellis in nosocomiis Anglicis.

Sequente anno Gerson Hamburgensis litteris tradidit observata, quae per bellum Hispanicum 1812, dum in exercitu Anglico praesertim Celorici aliisque in oppidis munere medico fungebatur, collegit -

cognitionem morbi non parum augebat. Gerson inprimis in naturam et indolem morbi inquisivit, quod ante ipsum unus Brugmans conatus erat.

Anno 1822 Olivier Francogallus opinatus est, se Gangraenae nosocomialis naturam detexisse eamque nomine „Typhus traumatique" declarasse. Quam sententiam i. e. Identitatem Miasmatum Typhi et Gangraenae nosocom. — multi postea secuti sunt, ex quibus Dr. Eisenmann Herbipolitanus, propugnator hujus sententiae, mitioribus affectionis gradibus nomen „Wundtyphoid", gravioribus, contagiosis „Wundtyphus" attribuit

Guilelmus Sprengel, Prof. Gryphiswaldensis, typhi traumatici cum typho petechiali (bellico) identitatem defendere suscepit et affectionem localem modo symptoma esse (secundarium) infectionis sanguinis cum veneno typhoso contendit.

Ex hoc tempore vehementiores Gangraenae nosoc. epidemiae desiderantur, qua ex causa in perscrutatione affectionis parum est profectum. Bellis cessantibus morbus noster tantum in nosocomiis civilibus majoribus exoritur et perseverat: plerumque quidem sporadice, interdum etiam endemice et atroci cum vehementia saevit, omnesque labores sumptusque eludit.

Pertinet huc commentariolus a Prof. Pitha anno h. s. LI. conscriptus egregius, de quo infra in Literatura fusius disseram. Nec minus studebant his annis eruendae Gangraenae nosoc. indoli Gregory Londinensis, Jobert de Lamballe et Robert,

Professores Parisienses, Dr. Eisenmann Herbipolitanus, Hoppe Bonnensis.

In expeditione Badensi anno XLIX. nullum Gangraenae nosoc. casum exstitisse Richter in relatione medica narrat, quamvis ardor solis vehementissimus, labores ingentes militibus sustentandi fuerint. Celerem vulnerum et amputationum sanationem ex eo profectam esse crediderim, quod non magna, referta, sed minora, frequentiora et bene instructa exstiterint nosocomia.

Idem de expeditione Sleswico-Holsatica referunt Lauer et Esmarch.

Desiderantur accuratae relationes medicae de Austriacorum novissimis bellis in Italia et Hungaria, ubi momenta, quae provocarent Gangraenam nosoc. fere cuncta adfuerunt: aestus, labores, penuria, regiones paludosae et insalubres, animi militum depressi cladibus et bello atroci.

Dr. Zaborsky observationes proposuit in opusculo tunc temporis praemio ornato. Etiam Dr. Beck de bello Italico referens, Gangraenam nosoc. raro se vidisse contendit post amputationes, numquam in vulneribus sclopetariis. Ceterum de aliis morbis contagiosis, ut febribus typhosis per exercitus Austriacos saevientibus multa legimus in ephemeridibus politicis, atque in Societate medicorum Viennensium de Typho inprimis abdominali et exanthematico disputatum est anno 1850, qui nosocomia Austriaca devastans, in aegrotos, sanos, medicos et custodes pariter incidit. Narravit hac occasione Prof. Hebra,

in statione Prof. Dumreicher, repleta militibus vulneratis, Gangraenam nosoc. saevientem ventilatione et munditie accuratissima, lotionibus chloratis post quamque alligaturam renovatis fuisse exstinctam.

Praeter terras hucusque citatas quae Gangraenae nosoc. epidemias et endemias exhibuerunt — plures vehementissimaeque epidemiae obviam veniunt in Italia, ubi urbs quaeque majoris circuitus, ut Mediolonum, Ticinum, Pavia, Florentia, Patavium nosocomium centrale, plerumque pessime instructum et aegrotis cujusque generis repletum possidebat.

Num gentibus extraeuropaeis Gangraena nosoc. prius nota fuerit, nescio, hoc autem constat, ex quo tempore medici Europaei regiones tropicas visitarint, hanc affectionem non raro ab ipsis observatam esse: haud mirandum, si in solis aestum exhalationesque paludum suspicias.

Itaque jam initio hujus saeculi medici navales et Anglici et Gallici in tropicis regionibus Gangraenam nos. in classibus exortam videbant, plerumque una cum scorbuto. Sic Trotter, Briggs, Bollo, Blanc, in classe Gillespic in India occidentali observarunt.

Recentiore tempore Lind [6]) Gangraenam nosoc., Erysipelas cunctosque ipsis propinquos morbos certis anni temporibus Bataviae observare potuit.

---

6) Lind in Gregory Vorles. üb. Ausschlagsfieber. Deutsch v. Hefft. Leipzig 1845. pag. 150.

Baudens [7]) in expeditione Algerica saepius nostrum morbum vehementissime saevientem oppugnavit, ejusque vim non nisi per ferrum candens frangere potuit.

Ibidem in Algeria Herrmann [8]) verba facit haec:

„Vulnera observavi facile in Gangraenam abire „solita. In levissimis contusionibus gangraenas or„tas saepe vidi periculosissimas et quidem sine cau„sis adjuvantibus. Gangraena retineri nullo modo „potuit, aegrotus ea confectus periit."

Lallement [9]) in Rio de Janeiro crebro Gangraenam nosoc. in vulnera incidere vidit, id quod minime insolitum esse in regionibus malo aëre (malaria) praeditis affirmat.

Fr. Pruner [10]) in Aegypto plures observavit Gangraenae nosocomialis epidemias.

Regiones septentrionales ab hoc malo immuniores servari videntur. In Russia paucae epidemiae obviam veniunt. De Suecia nil certi habeo. Hiberniae autem et Britanniae valetudinaria majora numquam fere hoc ingrato, ut ita dicam hospite carent.

---

7) Baudens Clinique de plaies d'armes à feu. Paris 1836. Cf. Hamburger Zeitschrift v. Fricke u. Oppenheim. 1837. Bd. VI. pag. 47.

8) L. Herrmann de morbis, qui Algerii occurrunt. Herbipoli 1833.

9) Lallement's Bericht üb. sein Hospital in Rio de Janeiro. Canstatt. Jahresbericht 1845. Bd. II. pag. 295.

10) Fr. Pruner, Die Krankheiten des Orients. Erlangen 1847. 8°.

Literatura.

Libris, quos ipse in manibus habui et perlegi, praeposui asteriscum (*).

Gallia.

Locus ille la Mothii supra memoratus, qui primus Gangraenam nosoc. ut propriam affectionem designat, in hoc opere exstat:

Mauquest de la Mothe, Traité complet de Chirurgie. Paris 1722.

* La Mothe, vollständige Abhandlung von der Chirurgie. Deutsch v. Huth. Nürnberg 1762. Tom III. pag. 267.

Nonnulla, quae ad Gangraenam nosoc. referantur, insunt operibus:

Vigaroux, Observations sur la Verole. Montpellier 1780.

Pointe, Essay sur la nature de la gangréne humide. Lyon 1768.

Vigaroux et Pointe aërem nosocomii corruptum pro causa principe habent.

Poutonis descriptio Gangraenae nosocomialis reperitur in opere:

* Oeuvres posthumes par Claude Pouteau. Paris 1783. Vol. III. p. 246. sqq.

Tit. Capitis: Mémoire ou récherches sur les symptômes de la Gangrène humide des hôpitaux et sur les remèdes propres à la combattre.

Auszug in * Richters Bibliotheca chirurgica. Bd. VII. pag. 386. sqq.

Excerpta Richteri nimis aphoristica videntur.

* Dussaussoy Dissertation et observations sur la Gangrène des hôpitaux. Genève 1786.

Excerpta in: Journal de Medicine. T. LXXI. p. 334. et: * Richters Biblioth. chirurg. T. XI. p. 189 — 206.

Dussaussoy observationes in nosocomio Hôtel-Dieu Lugduni collegit. Remedium optimum commendat pulpam e Cortice Chinae et Oleo Terebinthinae, sic dictam „maçonnerie.“ — Ceterum ipsius opus a recentioribus non raro pro fundamento acceptum est.

Moreau et Burdin, Essay sur la Gangrène humide des hôpitaux. Paris 1796. Tom I. p. 353.

Cf. Magazin encyclopedique No. XXI. p. 139.

Recueil periodique de la societé de Santé. No. IV. et V.

* Hufeland's neueste Annalen der französ. Arzneiwissenschaft. Bd. III. Hft. I. p. 107.

Minoris momenti opus. Moreau medicus, Burdin chirurgus fuit in exercitu reipublicae Franco-Gallicae.

* Percy, Pyrotechnie chirurgicale pratique, ou l'art d'appliquer le feu en chirurgie. Paris 1799. pag. 122.

Excerpt. in: * Wedekind, Nachrichten vom franz. Kriegsspitalwesen. Bd. III. p. 101.

Percy proponit hypothesin mirabilem: pendere epidemias Gangraenae nosocom. a lunae phasibus.

L. J. Guéniard, Dissertation sur la pourriture d'hôpital. Strasbourg 1812.

A. Richeraud, Nosographie et Therapeutiqne chirurgicale. Paris 1805—21.

Versio: Dessen * Grundriss der neueren Wundarzneikunst. Leipzig 1819. Deutsch von Robbi. Vol. I. p. 289.

Gangraenam nosoc. contagiosam esse, negat R.: qui de hac materia parum diligenter et accurate scripsit.

Ploucquet in Recueil periodique de la société de santé. Tom. XII. p. 81.

Relatio de Gangraena nosoc. ex vicinitate febricitantium orta.

Devilliers in Journal général de Médicine. Tom. XXI. p. 97.

Laudatur Unguentum de Styrace pro remedio topico.

Gronnier, Essay sur la pourriture d'hôpital. Paris 1810. 8°.

Vautier, Dissertation sur la pourriture de l'hôpital. Paris 1812. 8°.

* J. D. Larrey, Mediz. chirurg. Denkwürdigktt. Aus d. Franz. Leipzig 1813. p. 286.

Alexis Larrey, Dissertation sur la complication

des plaies et ulcères, connue sous le nom de pourriture d'hôpital. Paris 1814.

Aubry, Dissert. sur la complication des plaies et ulcères, connue sous le nom de pourriture d'hôpital. Paris 1814.

Commendantur topice adhibenda remedia: Extr. Opii aquosum et Succus Citri.

Emil Hautson, Essai sur la pourriture d'hôpital. Paris 1814.

Hautson una cum chirurgo supra memorato Richerand Contagiositatem rejicit.

* Boyer, Traité de maladies chirurgicales. Paris 1814. Tom. I. p. 320.

Tit. Capitis: De la pourriture ou gangrène humide d'hôpital.

Versio * Abhandlung von d. chirurg. Kranheiten, deutsch v. Cajet. Textor. Würzb. 1818 -- 27.

Boyer accurate et copiose agit de Gangraena nosoc.; multa autem vel ad verbum ex Dussaussoy hausit.

* J. Delpech, Mémoire sur la complication des plaies et des ulcères, connue sous le nom de pourriture d'hôpital. Paris 1815.

Versionem una cum Brugmanni Monographia edidit Kieser. Jen. 1816.

Delpechii opus quod ad semioticen, diagnosticen et therapiam singulorum casuum attinet, eximium est, et multiplicis observationis copia nititur. Desiderantur autem disquisitiones accuratiores pathologicae inprimis in proximam morbi causam, desidera-

tur interdum ars critice dijudicandi, nec minus propositiones de tota epidemia oppugnanda, ita ut hac in re a grandi tractatu Brugmanni longe superetur Delpech.

Gorsse in Récueil de Mémoires de Medicine et de Chirurgie militaire. Tom. XV. Paris 1815.

Pardomirat, Considérations sur la gangrène humide ou Pourriture d'hôpital. Paris 1815.

J. Delpech, Précis élémentaire de maladies chirurgicales. Paris 1816. Tom. I. p. 123 sq.

J. Delpech, Clinique chirurgicale de Montpellier. Paris 1820. Tom. I. p. 78 sq.

Dictionnaire des sciences medicales. Tom. XLV. Paris 1820.

Olivier, Traité du Typhus traumatique, Gangrène ou pourriture d'hòpitaux. Paris 1822. 8o.

Olivier auctor est doctrinae, Gangraenae nosocomialis causam proximam esse Typhi contagium. Pathologiae prospere studuit.

Trousseau, Observations sur la diphthérite in Archives generales 1829. Paris.

Trousseau Gangraenam nosoc. diphtheritidem vulnerum habet, et confundit cum angina membranacea et maligna. Quem postea nonnulli autores Gallici sunt secuti (cf. Robert).

* Dupuytren, Vorlesungen über Verletzungen durch Kriegswaffen, deutsch von Gräfe und Kalisch. Berlin 1835. Hft. III. §. 364.

Secundum totius opusculi circuitum brevis est de Gangraena nosoc. disquisitio. D. ipse non mul-

tum de hac affectione observasse videtur, multa hausit ex Boyer, traité de maladies chirurg. — alia ex Dussaussoy.

* Baudens, Clinique de plaies d'armes à feu. Paris 1836. 8°. p. 68.

Excerpt. in * Zeitschrift v. Fricke u. Oppenheim. Hamburg 1837. Bd. VI. p. 43 sqq.

B. in expeditione Algerica, cui interfuit medicus, saepius Gangraenam nosoc. grassantem videbat, inprimis in nosocomio Hospice Caratine. Remedium princeps: Cauterium actuale.

Lisfranc, in Journal de Méd. et de Chirurgie pratique. Juin 1845.

Cf. * Canstatt's Jahresberichte 1845. Bd. III Chir.

Rozé, Revue du service chirurgicale de Mr. Jobert (de Lamballe) Gaz. méd. de Paris. 1846. Nro. 43.

* Canstatt's Jahresbericht 1846. Bd. IV. p. 117.

Disquisitio majoris momenti. Discrimina accuratius discernuntur, novae species morbi proponuntur.

Robert, Considérations nouvelles sur l'Etiologie et le traitement de la diphtérite des Plaies in Bulletin de Therap. 1847. 24. Juli.

Gaz. des hôpitaux. 1847. Nro. 85.

* Canstatt's Jahresbericht 1847. Bd. IV. p. 73.

Robert, Trousseaunis discipulus, affectionem nostram pro diphtheritide vulnerum habet, cujus tres discernendae sint species.

Fabien, de l'emploi du Citron comme topique dans

la gangrène traumatique et la pourriture d'hôpital.

Revue méd. chir. de Paris. Obtob. 1848.

Cf. * Canstatt's Jahresb. 1848. ref. Gorup-Besanez.

F. observavit effectum succi Citri adversus Gangraenam nosoc. 1807 post pugnam apud Friedland, 1814 in Val de Grace, nosocomio militari Parisiensi. Imposuit vulneri orbes citrinos, quos deinde linamento (camphora et aqua chlorata imbuto) obtegit.

Racle, Memoire sur des nouveaux caractères de la Gangrène, et sur l'existence de cette lésion dans les maladies, ou elle n'a pas encore été decrite.

Gaz. med. de Paris. 1849. Nro. 50 et 51.

Cf. * Canstatt's Jahresb. 1849. p. 100 sqq.

R. secernit Gangraenam nostram plane a Gangraena omnino, et formam ulcerosam Diphtheritidem habet, formam ulcerosam pro inflammatione destructiva granulationum.

Britannia.

Dr. Gillespie, Observations of the putrid ulcer. London med. Gazett. 1785. Vol. VI.

Cf. * Thomson, lectures on inflammation, p. 470 sq.

Gillespie primus nostri morbi facit memoriam inter Anglos. Vidit eum ad littora Americae septentrionalis, et Indiae occidentalis, ubi tunc temporis pars classis Britannicae erat in statione. Parum studii adhibuit in pathologiam, confundens Gangrae-

nam nosoc. i. e. putrid ulcer cum scorbuto vehementissime saeviente, aliisque ulceribus.

* Rollo, An account of Diabetes. London 1797.

Tit. Capitis: A short account of a morbid Poison (miasma) acting on sores, and of the method of destroying it.

Symptomatologia interdum ab usitata dissentit. Quoad causam proximam, Erysipelas traumaticum, Gangraenam nosoc., Peritonitidem puerperalem ejusdem naturae morbos esse, quorum causae disponentes maxima ex parte a propria quadam et hucusque ignota aëris dispositione originem ducant. Quae sententia nuperrimo tempore defenditur a Gregory, Stromeyer, Pitha.

Blanc, On the diseases of Seamen. London 1799. brevem de Gangraena nosoc. tractatum profert, sub titulo:

„On the malignant Ulcer."

Trotter, Medicina nautica. Lond. 1799. Vol. II. et III.

Volumini II. inest dissertatio „on the malignant ulcer", in vol. III. graviores relationes de hoc malo, a Chirurgis navalibus ex omnibus classis stationibus ad ipsum transmissas proponit.

Extract. cf. * Thomson, Lectures on inflammat.

* J. Bell, Principles of surgery. Edinb. 1801. Vol. I.

Inest caput de Gangraena nosoc. minoris momenti.

Leslie, De Gangraena contagiosa. Edinb. 1804.

Johnston, De Gangraena contag. nosocomiali. Edinb. 1805.

Leslie et Johnston, uterque Thomsonii discipulus, cuncta quae ad ipsorum tempus de nostro morbo nota fuerint, satis pleno conspectu proponunt.

* J. Thomson, Lectures on inflammation. Edinb. 1813. p. 456 – 500.

Satis ampla et accurata de nostro malo disquisitio. Th. non solum suam ipsius sententiam profert, sed etiam quae antecessores, nec non quae contemporanei inprimis medici navales sint opinati, componit.

* J. Hennen, On the Hospital-Gangrene, prius editum in: Lond. med. Repository March 1815. reiteratum in ipsius: Chirurgia militar.

* Versio: Grundsätze der Militairchirurgie von Hennen. Aus d. Engl. Weimar 1822.

Sine ordine systematico e diariis repetitae itaque mere practicae tractationes. Quae de Pathologia dixit, manca sunt, Therapia vero magnum nobis, etsi negativum, tulit fructum. Etenim quum Hennen persuasum sibi habuerit de curationis generalis necessitate, ipse demonstravit eventu therapeutices suae infaustissimo, hanc methodum esse rejiciendam.

J. Cross, Sketches of the medical Schools of Paris. London 1815. p. 82 sqq.

Relationes de sententiis chirurgorum clarissimorum Parisiensium de causa proxima Gangraenae nos. continet.

J. Thomson, Report of Observations made in the military hospitaly of Belgium. Lond. 1817.

Versio: Beobachtungen aus den brittischen Hospi-

tälern in Belgien. Aus dem Engl. von Bueck. Halle 1820.

Guthrie, On gunshot wounds. Lond. 1820. Edit. II. p. 3 sqq.

Guthrie in Med. chir. Transactions London. Vol. VI. p. 455 sqq.

D. Hilson, Dissertat. de Gangraena nosocomiali. Edinburg 1818.

Home Blackadder, Observations on Phagedaena gangraenosa. Edinburg 1818.

Extract. in: * Langenbeck, Neue Bibliothek für Chirurgie etc. von Spangenberg. Hannov. 1820. Bd. II. St. 2. p. 252.

Valde commendandus tractatus, qui legentem admodum capit. Blackadder secundum suas observationes Contagiositatem „per distans“ negat. Therapia localis solutione Arsenicali fausto cum eventu exercebatur.

* Sam. Cooper, Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung, deutsch von Froriep. Weimar 1820. Art. Hospitalbrand. Bd. II. pag. 378—388.

Tractatio parvi aestimanda et sine dijudicatione ex operibus virorum Boyer, Thomson, Delpech aliorum compilata.

R. Wellbank in Med. chir. Transactions. Vol. XI. London 1821.

Extr. in: * Svenska Läkare Sällskapets Handlingar af Carlander. Stockholm. Vol. VIII. p. 271.

D. Gregory, De gangraena nosoc. Edinb. 1822.

A. Copland-Hutchinson, De Gangraena nosoc. in: Practical observations in Surgery. Lond. 1827. (edit. II.) p. 126.

Versio: Dessen Praktische Bemerkungen über Chirurgie, deutsch von Froriep. Weimar 1828.

* J. Copland, Encyclop. Wörterbuch der praktischen Medizin. Aus dem Engl. von Kalisch. Art. Gangrän. Berlin 1833. Tom. IV.

Cum dijudicatione critica conscriptus tractatus, qui propriis observationibus nititur.

* Gregory, Vorlesungen über Ausschlagsfieber, deutsch von Helfft. Leipzig 1845. p. 145 sqq.

Gregory Erysipelati traum., Gangraenae nosoc.,. Peritonitidi puerp., Typho bellico, Nomae neonat., idem vindicat miasma, quod „Hospital-miasma" appellat.

Moore, On the Hospital-Gangrene in: London med Gazette 1847. Jan. and March. Vol. XXXIX. (N. S. IV.) Part. 1. 3.

John Boggie, Observations on Hospital-gangrene, as it appeared during the late ware in the Peninsula. Edinburg and London 1848. 8°. p. 151 sqq.

Extr. in: Edinb. med. and surg. Journ. Octob. 1848.
„ „ * Canstatt. Jahresb. 1848. Bd. III.

Germania.

* Jos. u. Carl Wenzel, Bemerkungen über den Hospitalbrand in:

Hufeland's Journal d. prakt. Heilkunde. Bd. VIII. p. 144 — 192. Berlin 1799.

Propriae et accuratae observationes in Italia (Ticini, Mediolani etc.) factae. Curatio est generalis. Omittitur Prophylaxis et Diagnosis. Graviter uterque invehitur in malam nosocomiorum dispositionem, causam mali frequentissimam.

* Brünninghausen, Beobachtungen über den Hospitalbrand, in:

Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. Bd. X. St. 1. p. 76. Berlin 1806.

Epistola brevior ad Wenzelium de Gangraena nosocomiali mitiore, Wirceburgi orta; minoris momenti.

* E. Wolff, Dissertat. de Gangraena sic dicta nosocomiorum. Tubing. 1802. 4.

Quatuor Gangraenae nosocom. casus incerti et exigui.

Fr. Hönemann, Dissertat. de sphacelo nosocomiali. Wirceburgi 1807.

D. W. H. Busch, Dissert. de Gangraena nosocomiorum. Marburgi 1808. 4°.

Neumann, in: Abhandlungen der k. k. Josephs-Akademie. Bd. II. p. 3 sqq.

Sphacelum nosocomiorum non esse contagiosum.

v. Harless, in: N. Journal der ausländ. med. chirurg. Litteratur. Bd. II. Nr. VIII. p. 16.

Emetica in initio Gangraenae nosocom. commendantur.

* Renard, Ueber den Hospitalbrand. Mainz 1815.

Meditationes exiguae: imaginem morbi Renard profert e Wenzelio excerptum, deinde curandi methodos cognitas addit.

Abhandlung über die Zersetzung, welche man Spitalfäule nennt, in:

Salzburger med. chirurg. Zeitung 1812.

Vautier et Benedict, in: Hufeland's Bibliothek 1815. Bd. XXXIII.

* Kieser, Uebersetzung ven Brugman's u. Delpech's Schriften, nebst einem Anhange. Jena 1816.

Appendix est propria monographia, fere tota ex Brugmansii et Delpechii sententiis compilata quidem, sed cum dijudicatione critica. Annectitur consilium egregium de condendis tentoriis et tuguriis militaribus, in quibus Vulnerati collocentur.

W. Sprengel, Animadversiones castrenses. Dissertat. inaug. Halae 1816.

* Gerson, Ueber den Hospitalbrand. 8°. Hamburg 1817.

Materia systematice secundum Nosologiam et Therapiam disposita. Tractatus ingenuus valde tenet lectoris animum propter plenas observationes de Epidemiae angustiis et miseriis collectas in bello Hispanico, in urbe Celorico. Bona praeterea inest sententiarum Brugmanni et Delpechii dijudicatio. Nonnullis in locis sermo ambiguus esse et confusus videtur.

W. Werneck, Beiträge zur Kenntniss der Natur, Entstehung, Verhütung und Heilung des

Hospitalbrandes. Salzb. 1820. (edit. II. Salzburg 1847.)

Brauer, Observationes quaedam de Gangraena nosoc., quae anno h. s. XIV. Lipsiae inter milites variarum nationum grassata est. Lipsiae 1820. 4°.

* D. W. H. Busch, Beobachtungen vom Hospitalbrand in den Lazarethen von Luxemburg und Sedan, in: Dessen Denkwürdigkeiten aus der Militair- u. Civilpraxis. Rust, Magazin. Bd. VII. p. 1—58. Berlin 1820.

Autor anno 1814 medicus militaris Gangraenam nos. observavit Luxemburgi in ima nosocomii parte. Sedani casus nonnulli Gangraenae spontaneae in adspectum veniebant, quos Busch ad Gangraenam nosocomialem pertinere credebat.

K. B. Siegmund, De Gangraena nosocomiali. Dissertat. inaugur. Jenae 1820. 8°.

* E. Hilsenberg, De Gangraena nosocomiorum. Dissertat. inaugural. Berolini 1828. 8°.

Sine ullo momento!

* Langenbeck, Nosologie und Therapie der chirurgischen Krankheiten. Bd. III. p. 536—648. Göttingen 1825.

Tractatus insolitae amplitudinis, quo fere omnium, qui de nostro morbo conscripserunt, sententiae allegantur. Compilatio haud raro dijudicatione critica caret.

* Wilh. Sprengel's Chirurgie. Bd. I. Halle 1828. etiam sub titulo:

Der Allgemeinen Chirurgie Bd. I. (von den Entzündungen und Wunden).

Multiplicem observandi copiam habuit Halae 1813, Parisiis in Hôtel-Dieu 1814, Namurci 1815. — Commentatio est utilis et accurata. Nimis pertinax autem Sprengel sententiam suam identitatis Gangraenae nosocomialis cum typho petechiali propugnat.

* v. Siedmogrodzky, Bericht über den Hospitalbrand in der Charité im J. 1827, in:

* Rust, Magazin 1828. Jahresbericht aus der Charité für das Jahr 1827. Bd. XXVIII. Hft. 2. p. 268—279.

Relationes de pluribus casibus, qui fortiore medendi ratione (cauterio actuali) terminati, in lethalem eventum abire nequiverunt. Nonnullae res hucusque incognitae ex his observationibus intelliguntur.

* Th. Thortsen, De Gangraena nosocomiali. Berolini 1829. 8°. Dissertat. inaug.

Novae observationes ex nosocomio Caritatis Berolinensi propositae.

* Rust, Handbuch der Chirurgie. Berlin 1830. Bd. III. Art. Brand — Hospitalbrand von Dr. Betschler.

Nil novi affert!

Gräfe, Ueber den Chlorkalk und dessen medizinische Anwendung. Berlin 1831.

Laudat calcariae chloratae effectum adversus gangraenam nosocomialem.

* Berndt, Lehre von den Entzündungen. Greifswald 1834. Bd. I. p. 203—209.

* J. Hoppe, De Typho putrido atque de apoplexia ulcerum ex nosocomialibus causis miasmaticis. Dissertat. inaugural. Berolini 1834.

Una ex paucis dissertationibus, quae propriis et accuratis observationibus nituntur. Vidit Hoppe in nosocomio Caritatis centum circiter affectos, duce celeberrimo Grimm, qui cum ipso multum de hac affectione communicavit. Hoppe non in totum morbum inquirit, sed tantummodo de causa proxima morbi sententias haud spernendas proponit, quas postea in ópere mox laudando: „das Feuer als Heilmittel" accuratius exponere conatus est.

* Leinveber in: Medizin. Vereinszeitung No. 3. Berlin 1836.

Acetum Vini pro remedio efficaci habet prophylactico secundum casus faustos septuaginta duos ex Nosocomio Caritatis.

* Dr. Knapp, Bericht aus der Charité für das Jahr 1838 in: Rust, Magazin. 1843. Bd. 60.

Multi casus e statione Dieffenbachii exponuntur.

* Dr. Drescher, Jahresbericht aus der Charité für das Jahr 1839 in: Rust, Magazin. 1844. Bd. 63. Hft. 1.

* Eisenmann, die Wundfieber und Kindbettfieber. Erlangen 1837.

Doctrina de vulnerum corruptela, quae praemittitur ipsi disquisitioni, magni ad nostram materiam momenti est.

* Schönlein, Pathologie und Therapie, nach sei-

nen Vorlesungen. St. Gallen 1841. Edit. IV. Bd. I. pag. 299—300.

Schönlein nostrum morbum in numero „Neurophlogosium" habet et cum angina membranacea, dysenteria aliis confert.

* Meyer, Handbuch der wundärztlichen Klinik. Berlin 1840. vol. I. cap. X.

Compilatio satis ampla, sed multa cum Critice conscripta. Longe plura exhibet, quam ejusmodi libris (enchiridiis) inesse solent.

* Meissner, De Gangraena nosocomiali. Dissertat. inaugur. Berol. 1841.

Minimi momenti.

* Rüttel, Erfahrungen über Rothlaufentzündung und Hospitalbrand in: Rohatsch, Allgem. Zeitung für Chirurgie. No. 14. München 1842.

Disquisitio verbosa quidem, sed confusa et parum perspicua.

* Saro, De Gangraena nosocomiali. Dissertat. inaug. Berolini 1844.

Commentariolus sine studio et scientia congestus.

* L. Stromeyer, Handbuch der Chirurgie. Freiburg 1844. Bd. I. pag. 132. sq.

Praeclarum et perspicuum caput cum accurata dijudicatione conscriptum. Medicamentum princeps: Ferrum candens et Kali causticum. Quoad causam proximam contendit Identitatem miasmatis Erysipelatis traumat. et Gangraenae nosoc. Quatuor gradus evolutionis proponit:

Grad. I. In vulneribus simplicissimis prima intentio non fit — sanatio per secundam retardatur.

Grad. II. Erysipelas benignum exsistit circa vulnus aut ulcus.

Grad. III. Erysipelas traumaticum malignum ad mortificationem tendens.

Grad. IV. Gangraena nosocomialis s. dicta.

* Canstatt, Spec. Patholog. und Therapie. Bd. II. Abth. 1. Erysipelas. Erlangen 1846.

Weber, Hospitalbrand nach einer Bruchoperation in: Baumgarten, Zeitschrift für Chirurgie. 1846. Bd. III. No. 14.

Werneck, Beiträge zur Kenntniss der Natur, Entstehung, Verhütung und Heilung des Hospitalbrandes. 2. Aufl. Salzburg 1847.

* Bericht über die Vorfälle im Jacobs-Hospital zu Leipzig in:

* v. Walther et Ammon, Journal. 1848. No. 3. et

* Graevells Notizen für prakt. Aerzte. Berlin 1848. Bd. I. p. 528. sqq.

Casus undecim mitiores cum bono eventu referuntur. Curatio antiqua secundum Dussaussoy et Pouteau. In casibus extremis Caustica et Ferrum candens.

* J. Hoppe, Das Feuer als Heilmittel. Bd. I. divers. locis. Bonn 1847.

Tractatio egregia. Canterium actuale prae ceteris medicamentis contra Gangraenam nosocomialem commendatur. Hoppe vidit hanc affectionem erumpere in domiciliis privatis. (cf. Pitha.)

* Zeitschrift der k. k. Gesellschaft der Aerzte in Wien. Jahrg. VI. 1850. Hft. 3. p. 33.

continet.: Protokolle der Sitzung vom 21. Dec. 1849.

Disputationes de munditie et ventilatione, lotionibusque chloratis, ut optimis remediis prophylacticis, quae inprimis in Valetudinariis militaribus Austriacis magis adhiberi deberent.

* Dr. Beck, Die Schusswunden, nach Erfahrungen von 1848 u. 1849. pag. 71. Heidelberg 1852.

Observationes in bello Italico et Badensi collectae. Pauca insunt de Gangraena nosoc. verba, exiguae observationes.

* Dr. Simon, Ueber Schusswunden. Giessen 1851.

Gangraenam nosoc. non vidit in Nosocomio militario Hassico 1849.

* Dr. Esmarch, Ueber Resectionen nach Schusswunden. Kiel 1851.

E. in bello Slewigo-Holsatico numquam observavit Gangraenam nosoc.

* Milschewsky, De Gangraena nosocomiali. Dissertat. inaug. Gryphiae 1850.

Dr. Franz Zaborsky, Der Hospitalbrand. Eine Preisschrift. Wien 1851. 8.

* Pitha, Prof., Beitrag zur Beleuchtung des Hospitalbrandes in:

Prager Vierteljahrsschrift. 1851. Bd. II. pag. 27.

Praeclara atque ex litteratura novissimi temporis gravissima commentatio. Cuius operis hoc loco brevem summam proponere mihi liceat.

Laudat Pitha prae omnibus libris praesertim

Delpechii tractatum, cujus formas mali duas: ulcerosam et pulposam — probat nisi quod nominatas mallit: superficialem et profundam mortificationem.

Observavit has duas formas in nosocomio Pragensi, nec non in urbe et rure per novem menses saevientes — addit tabulam casuum octoginta duorum, ex quibus viginti tres (28%) letiferi.

Causam mortis frequentem accusat Pitha complicationem nostri mali perniciosissimam, prius in nosocomio suo inauditam: nempe haemorrhagias secundarias ex vasis arrosis et maceratis.

Pitha ex observationibus suis summam colligit hanc:

Gangraena nosocomialis non est morbus solum nosocomialis i. e. endemicus, sed epidemicus, quoad causam proximam Typho, Cholerae, Scarlatinae simillimus, et eodem gignitur miasmate aut sub eodem Genio epidemico, quo Febris puerperalis epidemica. Secundum ipsius verba causa proxima haec est: „Ein epidemischer Krankheitsgenius, der einerseits „exsudative Processe begünstigt, andererseits den „Exsudaten einen verderblichen septischen Charak„ter aufdrückt.“

T h e r a p i a praesertim localis. Necessaria prae ceteris visa est vehemens vulneris depuratio et exsudati diphtheritici detersio, ter quaterve quotidie per linamentum instituta. E remediis topicis laudat P. praesertim lapidem vulnerarium Hesselbachii, qui fundo ulceris fortiter depurato inspergebatur, aut purus aut pulvere Carbonis tiliae commixtus. Etiam

Opium purum cum carbone pulverato āā mixtum remedium efficax probatur, et palliativum (adversus dolores atroces), et curativum (secretionem alterans) Hydrarg. muriat. corros. in Solutione et externe et interne in multis casibus optimum habuit effectum. — Remedia interna ceterum modo contra symptomata adhibuit Pitha: ut contra diarrhoeam debilitantem Tanninum Decoct. Quercus etc. — Diaeta ut porrigatur bona et nutriens, vinum praesto sit generosum suadet. — Amputationem hisce sub conditionibus plane rejicit.

* Wunderlich, Spec. Pathologie und Therapie. Bd. II. Hälfte 1. p. 288—293. Stuttgart 1853.

W. adnumerat nostrum morbum Gangraenae cutis. Oppugnat Pithae sententiam: „Gangraenam nosoc. esse modo morbum epidemicum" quum origo ejus endemica (nosocomialis) negari nequeat. — Sub finem in Therapia proponit ad exstinguendum contagium in nosocomiis methodum, a Buschio adversus Contagium febris puerperalis endemicae adhibitum: ut conclave quodque ab aegrotis relictum eximio caloris gradui (60 - 70° R.) exponeretur.

R u s s i a.

M. Kalm et H. Wiedemann, De Gangraena nosocomiali. Dissertatio. Aboae 1818. 4°.

Auctore * Krebel „Die medizin. Literatur Russlands. 1846. 8°." hic commentarius unicus est, qui in Russia de hoc malo sit editus.

I t a l i a.

Volpi, Saggio di observationi e di esperienzi medico-chirurgiche fatte nello spedale civico di Pavia. Milano 1814.

* Aless. Riberi, Sulla cancrene contagiosa o nosocomiale con alcunni cenni sopra una risipola contagiosa. Torino 1820. 8°.

Accuratae et amplae observationes Mediolani, Ticini, Taurini etc. collectae.

Porta, Ueber eine neue Behandlung des Hospitalbrandes. Annali universali. 1850. April.

cf. * Canstatt, Jahresber. 1850. p. 124. Eisenm.

Cauterio potentiali tali modo utebatur, ut aut ulcus circumscinderet in sano, et in hoc sulco cauteria adhiberet, — aut partes affectas plane excideret et deinde novum vulneris superficiem cauterisaret. (Nonne vulnus novum denuo corripitur?)

B a t a v i a.

* Sebald. Justin. Brugmans, Verhandeling over de gesteldheit en zamenstelling van de Dampkring, in welke de zoogenaamde Hospitaal-Versterving bij gewonden plaats heft.

cont. in: Naturkundige Verhandelingen van de hollandsche Matschappii der Wetenskappen

te Haarlem. VII. Deels. 2. Stuck. Te Amsterdam 1814.

iterat. in: Annales de litterature méd. étrangère et nationale, edit. a Kluyskens et Kesselhoot. vol. XIX. 1. Juli 1815.

Versionem germanicam a Kieser. Jenae 1816. c. praefat. et appendic. vide supra.

Secundum quaestionem a Societate regia Batava praepositam, B. in conditionum nocentium causarumque disponentium perscrutatione summum studium collocavit; et de causa proxima morbi certam doctrinam statuere conatus est. Tractatus ubique auctorem philosophum indicat; cujus sententiae de totius epidemiae curatione generali, consiliaque ad evitandam epidemiam prophylactica nituntur subtilissima et accuratissima virium naturae cognitione. Atque in hoc graviores quam Delpelchius sententias Batavus protulit. Dolendum est, quod B. singulorum therapiam fere omisit, certis quaestionis propositae finibus coactus.

Alexander, Verhandeling over het hospitaalversterving. Rotterdam 1824. 8°.

Commentariis hic jam antea editus in:

Hippocrates Magazyn toegewyd von den geheelen omvang van de Geneeskunde van Sander et Wachter. Amsterdam 1820. vol. V. p. 1—220.

Kluisken in Verhandelingen der ersten Klasse van het Koninglyk Nederlandsche Institut van Wetenschappen etc. Amsterdam 1820. VII. Dec.

J. J. Kerst, Heelkundige Mengelingen. Te Utrecht 1835. 8°.

Extr. in: * Hamburger Zeitung für die gesammte Medizin von Fricke u. Oppenheim. Bd. II. 163.

Ferrum candens summis laudibus effert K.

VITA.

Hugo Guilelmus Ziemssen, confessioni addictus evangelicae, natus sum Gryphiae die XIII mensis Decembris anni hujus saeculi XXIX., patre optimo Ludovico Guilelmo, Potent. Boruss. Regi a Consiliis Intimis, Judicii Aulici Consiliario, qui ante undecim annos diem obiit supremum, matre carissima Guilelmina e gente ab Hagenow, quam adhuc superstitem duplice amore amplector.

Primis litterarum et linguarum elementis instructus Gymnasium adii Gryphiswaldense, quod tunc sub auspiciis directoris Glasewald florebat. Per undecim annos ibi dum studerem litteris artibusque ingenuis, admodum semper adjutus sum egregia liberalitate et benevolentia virorum eruditissimorum Prof. Dr. Paldamus et Dr. Scheele, qui ingenium meum ad dignissimam quamque atque nobilissimam intentionem flectere numquam destiterunt.

Paschali tempore anni h. s. XLVIII a Prof. Paldamus, Gymnasii Prorectore, cum testimonio maturitatis dimissus, in Civium academicorum numerum receptus a Prof. Dr. Baum, t. t. Rectore magnifico, et apud Prof. Litzmann, t. t. Decanum Facultatis medicae, nomen sum professus.

Per tria semestria hisce interfui scholis.

Ill. Tillberg: de physice experimentali.

Ill. Stiedenroth: de logice et psychologia.

Beat Hornschuch: de zoologia, de botanice.

Idem in museo zoologico, in horto botanico excursionibusque ad plantas colligendas et cognoscendas me instituit.

Ill. Hünefeld: de chemia theoretico-practica, physicali et organica, de mineralogia.

Ill. Fr. Schulze: de chemia analytica.

Ill. Münter: de botanice, de indagatione plantarum microscopica.

Ill. Litzmann: de encyclopaedia et methodologia medica.

Ill. Schultze: de anatomia corporis humani universali, de anatomia comparata et pathologica, de physiologia, de neurologia.

Cel. Laurer: de osteologia et syndesmologia, de splanchnologia, de fasciis rite adligandis.

Ill. Höfer docuit linguam anglicam et explicavit Shakspeare's Romeo and Juliet.

Autumnali tempore, anni XLIX tentamine philosophico superato, Berolinum petii, et civibus academicis adscriptus sum a Rectore Busch. Audivi lectiones has:

Ill. Mitscherlich: de materia medica.

Exp. Simon: de pathologia et therapia universali.

Ill. Müller et Ill. Schlemm praefuerunt exercitationibus anatomico-practicis.

Aestivo tempore anni L ob valetudinis imbecillitatem rure moratus, consilium cepi, adeundi Germaniam australem et mense Octobre Herbipoli inter cives academicos receptus sum a Rectore Edel.

Per tria semestria hisce studui disciplinis:

Ill. Virchow: de anatomia et physiologia pathologica universali et speciali. Interfui ejus demonstrationibus practicis de anatomia pathologica, et ipsius sub auspiciis explorationes institui microscopicas.

Ill. Scanzoni: de arte obstetricia theoretica; frequentavi clinicum obstetricium.

Ill. Marcus dux fuit in clinico medico et psychiatrico.

Ill. Rienecker: de infantum morbis. Sodalis fui instituti policlinico-medici, et clinici pro infantum morbis.

Cel. Rapp: de pathologia et therapia speciali.

Ill. Scherer: de chemia medica.

Ill. Schenk: de botanice medica.

Socius ejus eram in itineribus botanicis.

Exercitationes practicas, quae de auscultatione et percussione, de syphilide, de morbis cutis in nosocomio Juliano a Dr. Klinger et Dr. Friedreich, medicis assistentibus, instituebantur, frequentavi.

Aestivo tempore an LII Gryphiam redii, ubi egregia benevolentia viri Ill. Berndt adeptus sum munus medici assistentis in instituto obstetricio et policlinico medico, quo per anni spatium sum functus. Praelectiones audivi, quae sequuntur:

Ill. Haeser: de historia medicinae. Sodalis eram examinatorii de pathologia et therapia speciali.

Cel. Eichstedt: de operationibus obstetriciis.

Exp. Schultze: de monstrositatibus primitivis.

Exp. Wöhler docuit historiam musices.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Ill. Berndt: de pathologia et therapia speciali, de puerperarum morbis.

Ill. Bardeleben: de chirurgia speciali, de operationibus chirurgicis, de herniis, de oculorum morbis.

In clinico medico et obstetricio Ill. Berndt, in clinico chirurgico et opthalmiatrico, et operationibus in cadavere institutis Ill. Bardeleben duces mihi fuere; in exercitationibus obstetriciis practicis Ill. Berndt et Cel. Eichstedt.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas atque habebo in perpetuum.

Jam vero absolutis tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summis orner medicinae, chirurgiae et artis obstetriciae honoribus.

THESES.

I.

Ad provocandum partum praematurum methodus Kiwischii longe praestantissima est.

II.

Secale cornutum dolores ad partum debiles optime auget.

III.

Microscopio in Diagnostice carere non possumus.

IV.

Varices per Magneto-Electricitatem certissime concluduntur.